

QUÆSTIO XXVIII.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

SUMMA LITTERÆ.

A processionibus ad relationes recto ordine transit D. Thomas, quia processionibus se habent ut fundamenta relationum realiter distinctarum, et relationes oppositæ, et incommunicabiles sunt formæ personales.

Duo præcipua capita tractat D. Thomas in quæstione.

Primum, an sint, et quid sint relationes reales in Deo.

Secundum, quot sint. Primum expedit duobus prioribus articulis. Secundum, duobus ultimis.

In primo articulo affirmat esse in Deo reales relationes.

Ratio est, quia realiter Deus est Pater et Filius: ergo realiter habet relationes paternitatis, et filiationis. Rursus ubi fundamenta sunt realia, relationes resultantes reales sunt: in Deo dantur fundamenta realia, nempe processionibus intra eandem naturam, et ordinem divinum, ut ostensum est articulo præcedenti: ergo et relationes reales.

In secundo articulo affirmat quid sint istæ relationes reales, et qua realitate, et esse gaudeant, nempe ipsa realitate, et esse divinæ essentiæ.

Ratio est, quia relationes reales licet sint ad terminum, vere tamen, et realiter sunt in subjecto quod referunt, et denominant. Sed relationes non possunt inesse Deo ut accidentia inhærentia, et superaddita, quia est incapax accidentium divina substantia, cum non habeat potentialitatem ad illa recipienda. Ergo sunt ipsa Dei substantia.

In articulo tertio docet relationes plures esse debere in Deo, et non unam tantum.

Ratio est, quia relatio realis solum datur in ordine ad terminum realiter distinctum, quia ejusdem ad se non datur relatio realis. Terminus iste distinctus non aliquid creatum extra Deum, quia istæ relationes sunt ad intra, et ante omnem creaturam: ergo ad aliquid divinum, non absolutum, quia in absolutis nulla datur distinctio, sed summa unitas: ergo in relativis.

In articulo quarto docet esse quatuor relationes reales, non plures, nec pauciores.

Ratio est quia sunt duæ processionibus reales, et quælibet habet duo extrema realiter distincta, quæ extrema non possunt esse nisi relationes; absoluta enim tantum habent unitatem: ergo quælibet processio exigit duas relationes; et sic cum sint duæ processionibus, erunt quatuor relationes. Non tamen nisi tres Personæ, quia una istarum relationum non est incommunicabilis, scilicet spiratio activa: communicatur enim Patri, et Filio; et sic non constituit Personam seorsum ab illis. Relationes ergo quatuor sunt, paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva, sed Personæ sunt tres Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quia in Patre et Filio est spiratio activa.

DISPUTATIO XIII.

DE RELATIONIBUS DIVINIS.

ARTICULUS I.

Quomodo essentia, et relationes distinguantur?

I. Duæ in præsentia se offerunt difficultates, quæ propter sui affinitatem, et similitudinem ordine quodam a nobis agitandæ sunt.

Prima est, circa distinctionem relationum ab essentia qualis sit, et quatenus admittenda, quæ difficultas licet communis sit pro omnibus attributis quomodo distinguantur ab essentia, et inter se, specialem tamen difficultatem in relationibus habet, propter majorem vim quam in eis habet affirmatio, et negatio, quæ est principium distinctionis, quia ibi clarissime apparet essentiam communicari, non communicata relatione in re, et ante omnem intellectus operationem.

Secunda difficultas est, dato quod ante intellectum non distinguantur ab essentia, quomodo in suis conceptibus includatur, an essentia includatur in conceptu relationum, et an relationes sint de conceptu essentiæ, an non. De hac agemus articulo sequenti. De prima in isto.

UTRUM PRÆSUPPOSITUM DE FIDE, ET ALTERUM EX PHILOSOPHIA.

II. Dari in Deo relationes certa fide tenendum est. Hoc est primum præsuppositum. Dari in creaturis relationes reales distinctas a rebus absolutis ex certa philosophia præ-

supponendum est, et sine theologiæ dispendio non videtur posse negari. Hoc est secundum.

Primum constat definitione Ecclesiæ, deduciturque ex Scriptura. Definitio Ecclesiæ sumitur in primis ex Concilio Toletano II, in confessione, ubi invenitur expresse nominari relationes in Sancta Trinitate, cum dicitur: « In relativis vero Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque refertur; quæ cum relative tres Personæ dicantur, una tamen natura per substantiam creditur. » Et infra: « Quod enim Pater est non ad se, sed ad Filium est, et quod Filius est non ad se, sed ad Patrem est: similiter, et Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem et Filium relative refertur. » Quo loco relationes in divinis proprio relationis nomine exprimentur. Citatur etiam ad hoc sexta Synodus actione XI, in epistola Sophronii in illo Concilio recepta, et Concilium Lateranense sub Innocentio III, in c. Firmiter, et Florentinum sess. XVIII et IX, et in litteris unionis. Cæterum in his locis non ita expressum habetur nomen relationis, sicut in prædicto Concilio Toletano, quia in epistola Sophronii dicitur: « In Sancta Trinitate esse unum naturam in tribus subsistentiis, » non vero relationis mentio fit. Et in c. Firmiter dicitur esse hanc Sanctam Trinitatem secundum communem essentiam individuum, et secundum personales proprietates discretam, sed relationis nomen ibi non exprimitur, sed neque in c. Damnamus sequenti, ubi licet dicatur quod: « Pater Filium generando suam substantiam ei dederit, » non tamen additur præter relationem, ut aliqui ex illo textu citant, sed male: ibi enim non additur talis particula. In Concilio Florentino, in litteris unionis dicit Eu-

genius papa, quod omnia quæ Patris sunt, ipse Pater Unigenito suo dedit, præter esse Patrem, sed non dicitur præter relationem, licet esse Patrem relatio sit, sed a pontifice, non exprimitur nomine relationis. Verum quidem est quod in sessione xvii, xviii et xix, frequenter nomine relationum et hypostasum utitur Concilium, sed tamen in illis sessionibus nihil definitive protulit Concilium, sed solum disputationes doctrinales habentur, ex quibus constata fuit definitio, quæ postea in litteris unionis ab Eugenio posita est, ubi nomine relationis non utitur. Similiter in Concilio Rhemensi sub Eugenio III editum est quoddam symbolum a patribus provinciarum, hoc est episcopis, ubi contra propositiones Gilberti dicitur inter alia: « Nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates dicantur adesse Deo, et quod non sint Deus, » ubi mentio relationum fit. Sed quam vim habeat hoc symbolum illius Concilii, et an fuerit approbatum a papa, diximus præcedenti tomo, disp. iv, art. vi.

III. Cæterum communem esse sensum Ecclesiæ quod relationes in Deo dentur ad distinguendas Personas constat ex modo communi loquendi sanctorum patrum. Augustinus v de Trinitate, c. viii et ix, affirmat: « Solum substantiam, et relationem proprie reperiri in Deo, » et xv de Trinitate, c. iii: « Quod de Deo dicitur non secundum substantiam, relative dici. » Boetius libro de Trinitate habet illam celebrem sententiam: « Substantia præbet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem, » et toto illo libro sæpe relationes in Deo dari affirmat. S. Anselmus libro de incarnatione, c. iii, de hoc mysterio loquens infert pro inconvenienti contra illum contra quem disputat, quod: « Nulla erit in Deo relatio, et sic plures non erunt

Personæ. » S. Bernardus piset. cxc, contra errores Petri Abailardi, sæpius repetit relationes has in Deo esse. Denique, magister sententiarum in i, dist. xxvi et xxvii, et universi doctores scholastici, et D. Thomas in hac quæstione xxviii, et denique omnes catholici doctores in his relationibus asserendis, et ponendis unanimiter conveniunt.

IV. Hæc autem assertio ex ipsa Scriptura deducitur, quæ evidenter relativis nominibus explicat Personarum distinctionem, ut Patris, et Filii, ut cum dicitur: *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, Matth. xxviii: *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*, i Joan. ultimo, et multis aliis locis ex quibus mysterium Trinitatis colligitur, et nomine Patris, ac Filii significatur. Istis autem nominibus apud nos relationes explicantur, Pater enim, et Filius relative dicuntur: ergo in divinis etiam inveniuntur relationes, seu genus relativum, si quidem nomina significantia relationes Personis assignantur. Non possunt autem illis nominibus significari relationes fictæ, seu rationis, tum quia paternitas, et filiatio apud nos relationes reales sunt: ergo si Deo attribuuntur proprie, et non metaphorice, nec in ordine ad creaturas quæ sunt extra se, sed in ordine ad Personas, quæ divinæ sunt, utique reales relationes attribui debent; tum quia Deus realiter est Pater, et Filius non fecte, et solum secundum rationem, alias esset in re tantum unum et idem Pater, et Filius, quia non realiter, sed per intellectum diceretur Pater, et Filius; atque adeo non realiter distinguerentur Filius, et Pater in esse, et ratione Personæ, et multo minus in ipsa ratione divinitatis, seu perfectione absoluta, quæ dividi non potest: ergo erit eadem Persona id quod dicitur Pater,

et Filius, quæ est hæresis Sabelliana. Unde explicatur magis hæc ratio, quia de fide est Personas distinguere realiter: ergo secundum aliquam realitatem, quæ sit in una, et non in alia. Sed hæc realitas non potest esse absoluta, quia sic divideretur divina essentia, nec esset eadem numero in Personis sed diversa, quod esset ponere plures deos: ergo est realitas relativa. Tum denique, quia in divinis datur realis processio, et origo, datur enim genitum, et generans, ergo datur reale fundamentum relationum, datur etiam terminus distinctus, quia dantur Personæ distinctæ intra Deum: ergo datur quidquid requiritur ad realem relationem, scilicet reale fundamentum, et terminus.

V. Secundum quod supponimus ex metaphysica, et a nobis tractatum est in logica, qu. xvii, art. i, est dari veras relationes reales distinctas a genere absoluto ex mente S. Thomæ, qui sæpe docet relationes esse accidentia inhærentia subjecto, et ita distincta, quod faciant compositionem cum subjecto. Videatur in i, dist. xxxiii, qu. i, art. i, in fine corporis, ubi inquit: « In relationibus realibus aliud est esse relationis, et substantiæ, quæ refertur; et ideo dicuntur inesse, et secundum quod in sunt, compositionem faciunt accidentis ad subjectum. » Et in hac quæstione, art. ii, in corpore: « Relatio, inquit, secundum quod est accidens sic est inhærens subjecto, et habens esse accidentale in ipso. » Et idem docet iv contra gentes, c. xiv, circa nonam rationem, et qu. viii de potentia, art. i. Quæ omnia ibi probavimus, tum ex naturalibus, tum ex theologis, scilicet ex hoc mysterio in quo relationes reales inveniuntur. Et in hoc dicimus non posse sine theologiæ dispendio negari relationes reales prædicamentales, seu secundum

esse, et quæ puræ relationes sint, nec posse explicari rationem relationis, solum per conceptum unius extremi absoluti cum connotatione alterius, vel cum extrinseca denominatione, ut aliqui putant. Nam hæc imaginatio (licet falso) posset in creatis fingi, in divinis autem stante hoc mysterio Trinitatis, non potest. Nam si relatio, non est aliud quam duorum absolutorum assistentia, et connotatio, ut æqualitas est duæ quantitates, non se excedentes, similitudo duæ qualitates convenientes, da mihi intra Deum duo extrema realiter distincta, quorum assistentia, et connotatio relationem constituat: nam vel illa extrema distincta sunt relationes, vel absolutæ entitates; si absolutæ, dividis et distinguis essentiam in eo in quo absoluta est: si sunt relationes: ergo non in connotatione, et coassistencia duorum consistit relatio, sed ante ipsam connotationem fateris relationes, quia ipsa extrema quæ connotare se debent, et coassistere, non nisi per rationem relativam sunt realiter distincta, non autem per aliquid absolutum, quia hoc non est nisi unum in divinis. Itaque in Deo dantur extrema realiter distincta, videlicet Personæ, et dantur etiam relationes reales, ista extrema non distinguuntur per rationes absolutas, quia quod absolutum est in Deo, distinguere non potest, quia opponi non potest: distinguuntur ergo per relationes: ergo non potest relatio in divinis consistere in connotatione, aut assistencia duorum extremorum, vel denominatione extrinseca illorum, quia extrema ipsa, inter quæ debet esse connotatio, non sunt extrema distincta, nisi per relationes; ante connotationem ergo duorum datur relatio; et sic relatio non potest stare in compositione aut coassistencia duorum extremorum absolutorum, cum in di-

vinis sine distinctione absolutorum salvari debeat per distinctionem ipsarum relationum. Relationes ergo aliquid sunt præter connotationem absolutorum. Et sicut in divinis genus relativum invenitur distinctum a connotatione, et compositione absolutorum, sic in creaturis relationes prædicamentales aliquid sunt præter plurium absolutorum connotationem, et præter genus absolutum, seu præter unumquodque absolutum in ordine ad se. Et hoc ipsum urgetur ex theologia, quia non alio fundamento Concilia, et patres definiunt in divinis dari relationes, et distingui non secundum absoluta, sed præcise secundum relationes, quia in Scripturis significantur Personæ nominibus relativis, scilicet Patris, et Filii, etc. nam ipsum nomen relationis in Scriptura non exprimitur: ergo si Pater, et Filius apud nos non significant nisi extrema absoluta cum connotatione, seu denominatione extrinseca, etiam in divinis non ponuntur relationes, sed tantum extrema absoluta cum connotatione, quod est ponere distinctionem in absolutis.

VI. Nec obstat quod formaliter intelligi possunt convenire omnia quæ de relativis dicuntur, sine ista entitate relativa superaddita, solum per plurium absolutorum positionem, et eorum connotationem, sicut posito Patre generante, et Filio genito, iste formaliter, et proprie est Pater quia formaliter genuit, ille Filius quia formaliter processit ab illo, et tamen Pater qui generat, et generatio ipsa, et Filius qui genitus est, aliquid absolutum sunt: positis duabus quantitibus se non excedentibus formaliter æquales sunt, quia formaliter una non est minor altera: ergo formaliter sunt æquales. Et idem est de duobus similibus, et de quibuscumque aliis relativis. Superflue ergo ponuntur istæ entitates

relativæ superadditæ, si sine ipsis totum exercetur, quod nos per ipsas exerceri ponimus.

Respondetur quod sine entitate relativa resultante non dicuntur de illis extremis omnia, quæ dicuntur posita illa entitate relativa: deest enim saltem unum prædicatum formale, scilicet respicientia, et ordo, quo comparatur unum extremum ad aliud. Nam posito Patre generante, et generatione, et Filio genito, ille dicitur Pater, et iste Filius causative, non relative; fundamentaliter, non formaliter: dicitur enim ille homo causans filium, non tamen dicitur relative, et formaliter pater, formalitate comparativa. Et duæ quantitates ita convenientes, quod nulla est minor altera, sunt duæ quantitates æquales quantitative non relative, fundamentaliter non formaliter; et una non superat aliam, nec est minor illa entitative, et quoad quantitatem, non relative, et per comparisonem realem: constat enim hoc non habere minus de quantitate, quam aliud, sed non ordinatur ad aliud, nec respicit illud tamquam non minus, et inferior illo, quousque habeat relativam entitatem, qua formaliter ordinetur erga illud. Sed totum hoc pertinet ad fundamentum relationis, non ad ipsam formalitatem respiciendi, in qua consistit relatio; sed hoc habet per entitatem relativam superadditam ad connotationem, et distinctionem extremorum absolutorum.

RELATIONES DIVINÆ SOLA RATIONE
DISTINGUUNTUR AB ESSENTIA.

VII. De hoc puncto egimus præcedenti tomo, disp. iv, art. vi, agendo de distinctione attributorum tum inter se, tum ab essentia. Relationes enim licet non computentur inter attributa, quia attributa communia

sunt omnibus Personis, et ad absolutam perfectionem pertinent, personales vero relationes non, tamen quia divinæ sunt, et intra Deum reperiuntur, eodem divino esse gaudere debent sicut attributa, et sic esse idem cum essentia. Breviter dico ex omnibus distinctionibus quæ inveniri possunt, suos prodiisse auctores, quia aliquam ex illis tenuerint dari inter attributa, inter essentiam, et relationes. Est enim distinctio realis, sicut inter duas res. Est distinctio modalis sicut inter rem et modum, inter sessionem et sedentem. Est distinctio formalis actualis, qua nimirum ante opus intellectus unum non includit aliud. Est distinctio rationis cum fundamento in re, quæ vocatur distinctio rationis ratiocinatæ. Est denique distinctio rationis sine fundamento in re, quæ dicitur rationis ratiocinantis.

Primam distinctionem realem inter essentiam, et Personas, seu relationes posuit Gilbertus Porretanus, ut refert S. Thomas hic art. ii. Et ante ipsum eam expressius videtur docuisse Gualterus quidam, qui absolute inter essentiam, et attributa docebat esse distinctionem realem, ut refert Suarez lib. i de essentia Dei, c. x, et Vasquez hic disp. cxvi, c. ii. Specialiter tamen Gilbertus loquebatur de distinctione inter relationes, et essentiam, non de attributis, sicut Gualterus. In illa tamen distinctione relationum ab essentia idem sensisse videtur cum Gualtero, licet Vasquez illum a reali ista distinctione liberare conetur disp. cxx.

Secundam distinctionem modalem posuit Durandus in i, dist. xxxiii, q. i et dist. xxiv, q. ii.

Tertiam distinctionem posuit Scotus in i, dist. ii, quæst. vii, §. Sed hic restat, et dist. viii, qu. iv, et dist. xxvi, qu. ii, et aliis locis quæ

præcedenti tomo, disp. iv, art. vi citavimus.

Quartam distinctionem ponit D. Thomas loquens de attributis in i, dist. ii, qu. i, art. iii, et loquens de Personis, et essentia in hac quæstione, art. ii et qu. xxxix, art. ii ad ii, et in i, dist. xxxi v, qu. ii, art. i ad ii. Et sequuntur communiter Thomistæ, quos loco citato adduximus.

Quintam distinctionem tenuerunt aliqui quos refert D. Thomas in i, dist. ii, qu. i, art. ii, eamque attribuit Avicennæ, et Rabbi Moysi, et eam videntur postea secuti Gregorius in i, dist. viii, qu. ii, art. i et ii, et Aureolus ibidem articulo sexto, quatenus solum concedunt distinctionem in attributis quæ connotet diversos effectus in creaturis, ex parte vero Dei nihil eis correspondeat, nisi diversitas nominis.

VIII. Contra primam sententiam Gilberti actum est in Concilio Rhemensi sub Eugenio III, et ibi damnata est propositio Gilberti, quæ talis erat, quod: « Tres Personæ sunt tres res æternæ, et ad invicem a divina substantia in numero differentes. » Si numero differunt a divina substantia: ergo realiter ab illa differunt, et extrinsecæ illi sunt. Unde ad comprimendum hunc errorem, et expungendam propositionem Gilberti, primo compositum est symbolum ab episcopis provinciarum interventu sancti patris Bernardi, qui in Concilio illo præsens fuit, et posita fuit ex adverso hæc propositio, quod: Nullæ relationes sive proprietates, vel unitates ponantur, quæ sint æternæ, et non sint Deus. Ex quo clare constabat relationes, seu Personas a divina substantia realiter non differre: sic enim non essent Deus, sed aliquid diversum a Deo. Sed tamen quia hoc symbolum non videtur fuisse a Concilio acceptatum, ut ex Otthone Frisingensi do-

cet Severinus Binius in notis ad illud Concilium, tomo III Conciliorum, in secunda parte sub Eugenio III, eo quo sine interventu cardinalium ab episcopis fuerit confectum, qui de hoc valde conquesti sunt apud pontificem; tamen ut ibi dicitur circa unam ex propositionibus Gilberti sic pontifex definivit: « Ne aliqua ratio in theologia, id est, nullum argumentum, aut sententia, vel opinio inter Personam, et essentiam divideret, neve Deus divina essentia diceretur in casu ablativi tantum, sed etiam nominativi, » id est, quod abstracta prædicarentur de concretis in nominativo, ut quod Deus est deitas seu divina essentia, non vero solum in ablativo quod deitate est Deus. Quare non est dubitandum quod Gilbertus illam sententiam tenuerit de distinctione Personarum ab essentia, licet postea recantaverit, quidquid Vasquez hic disp. cxx, ex Otthone citato, velit illum ab hac sententia exonerare. Magis enim credendum est ipsis actis, et symbolo a S. Bernardo, et episcopis confecto contra Gilbertum, et D. Thomæ hic art. II, et D. Bonaventuræ, Alexandro de Ales, et aliis antiquioribus, qui propinqui fuerunt temporibus Gilberti, et in eisdem locis quibus ille, vixerunt, et docuerunt, quam Vasquez credat Otthoni, qui tamen non omnia gesta in illo Concilio, aut a Gilberto asserta obligabatur narrare in historia sua. Unde Suarez lib. IV de Trinitate, c. II, jure invehitur in illos, qui existimant S. Thomam, et Bonaventuram hæc imposuisse Gilberto.

IX. Convincitur autem manifeste error hic, quia Personæ divinæ sunt realitates creatæ, vel increatæ. Si creatæ, non sunt Personæ Dei, sed factæ ab ipso, et inciditur in hæresim Arii, et Macedonii. Si increatæ: ergo sunt Deus, et actus purus nihil potentialitatis habentes: ergo

non distinguuntur ab entitate, et esse divino, quia esse divinum cum sit infinitum, et actus purus, omnem rationem divinam in unica, et indivisibili ratione continet, nec per compositionem sibi aggregat: si enim in illa ratione actus puri, et divinæ naturæ non invenitur omne quod divinum est, sed aliquid ab illa distinguitur, eique advenire potest, jam in illa sua ratione, infinitæ perfectionis, et puritatis non est, si quidem aliquid illi deest in illo conceptu, et realitate quæ advenire illi potest. Ergo dicendum est quod essentia et Personæ distingui non possunt, si ipsæ Personæ increatæ sunt. Unde tandem confirmatur, quia inter essentiam, et relationem non est oppositio, neque relativa, quia nomine essentiæ non explicatur aliquid correlativum, sed id solum quod absolutum est; neque privativa, aut contraria vel negativa, quia hæc omnia limitationem, et imperfectionem important: aliquid enim deest uni quod est in alio, et e contra: ergo nulla est distinctio, quia hæc fundatur in aliqua oppositione.

X. Eodem fundamento expungitur sententia Durandi de distinctione modali inter essentiam, et Personas. Quia modus ille sic modaliter distinctus a natura vel est creatus, vel increatus. Si creatus non potest naturam divinam afficere, et modificare: esset enim magna imperfectio modificari, et informari aliquo creato. Si est increatus, est actus purus: ergo summa entitas: ergo non est modus qui est infima entitas, et minor accidente, sed substantia, quæ est nobilior. Quod si substantia, vel distinguetur realiter ab essentia divina et non modaliter tantum, et inciditur in errorem Gilberti, vel est omnino idem cum deitate essentialiter et formaliter, et sic est falsa sententia Durandi,

parumque distat a Gilberti sensu.

XI. Fundamenta Gilberti sunt, quia aliquid convenit Personæ, quod non naturæ, et hoc non per intellectum nostrum, sed in re: dicimus enim quod Persona generat non natura, Persona Filii est incarnata non essentia: ergo habent distinctionem in re. Et ad idem reducitur quod proponit Durandus, quia ex natura rei, et ante negotiationem intellectus Pater est formaliter Pater per paternitatem, et non per essentiam, alias non distingueretur formaliter a Filio, nec per essentiam respicit, et opponitur Filio, sed per paternitatem; essentia si quidem est etiam in Filio. Unde essentia est in plus quam paternitas, quia paternitas est essentia, sed essentia est paternitas, et aliquid plus, scilicet filiatio, ad quam non extenditur paternitas, sed illi opponitur, et hoc totum in re: ergo aliquid in re est paternitas quod non essentia. Item quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt idem realiter inter se; sed tres Personæ sunt idem realiter in essentia, quia non distinguuntur ab illa per se: ergo sunt idem realiter inter se. Consequens est hæreticum: ergo aliqua præmissarum falsa. Non major, quia est principium lumine naturali notum: ergo minor; et sic dicendum est quod distinguuntur essentia, et relationes. Denique, faciunt pro Durando aliquæ auctoritates ex Damasceno, et Augustino. Nam Damascenus lib. I fidei, c. IX sic dicit: « Omnia quæcumque habet Pater Filii sunt, præter generationem, quæ non significat substantiæ differentiam, neque dignitatem, sed modum existentiæ. » Et c. XIII: « In-genitum, et genitum, et processibile non substantiæ sunt significativa, sed ejus quæ ad invicem est habitudinis, et existentiae modi. » Ergo persona modum significat, et tam-

quam modus distinguitur a substantia essentiæ. Similiter S. Augustinus VII de Trinitate, c. I inquit, quod: « Omnis res quæ relative dicitur, est aliquid excepto relativo seu relatione. » Ex quo concludit quod in Patre præter paternitatem est aliquid scilicet essentia. Et in capite quarto dicit, quod: « Non est idem Deum esse, et Patrem esse. » Ergo paternitas, et deitas secundum beatum Augustinum non sunt penitus idem. Et idem docet super psalmum xcviij.

XII. Respondetur ad principale argumentum, et ad secundam replicam de his quæ sunt eadem uni tertio, satis superque a nobis actum esse, et solutum articulo tertio præcedenti. Et iterum venit solvenda illa prima replica pro sententia Scoti: eodem enim fundamento nititur ut etiam advertimus præcedenti tomo, disp. IV, art. VI, ubi hæc omnia soluta sunt. Breviter dicimus, ad illam affirmationem, et negationem sufficere distinctionem rationis, ut docet S. Thomas infra qu. XXXIX, art. I ad II et in I, dist. XXXIV, qu. II, art. I ad II, non autem requiri distinctionem actualem in re, sed sufficit in re esse fundamentalem, et eminentialem distinctionem, id est, rem tantæ eminentiæ, quæ æquivalet pluribus rebus, quibus conveniunt diversæ illæ, et oppositæ conditiones, ita tamen quod quando propositio negativa ponitur, non negat prædicatum de subjecto secundum omnem rationem etiam realiter, et identice, sed solum in sensu formali, sicut cum dicitur Pater generat, deitas seu essentia non generat, ista negativa verificatur in sensu formali, id est, essentia, vel deitas quatenus significatur tali modo, id est, in abstracto; et quia propositiones, si absolute proferantur, semper in sensu formali procedunt, ideo absolute negandum est quod essentia vel deitas generat, sicut